

15.  
OBSERVATIONES  
THEOLOGICÆ  
DE

HÆRESI,

JUXTA

S. SCRIPTURÆ SENSUM;

D. O. M. A.

IN ELECTORALI FRIDERICIANA,  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
DN.

FRIDERICO WILHELMO,  
ELECTORATUS BRANDENBURG. HÆREDE,  
&c. &c. &c.

PRÆSIDE

JOACH. JUSTO BREITHAUPT,

S. Th. D. Profess. Publ. & Seminar. Direct.

Consil. Confist. Duc. Magdeb.

&

RESPONDENTE

M. JOHANNÈ GVILIELMO à LITH,

Onoldino-Franco,

Ad disputandum P. P. XX. Novembr. MDC XCVII.

---

HALÆ MAGDEBURGICÆ,  
TYPIS CHRISTOPH. ANDRÆAE ZEITLERI, AC. TYP.

5-20

5

OBSERVATIONES  
THEOLOGICAE  
DE

HAERESI

IUXTA

SCRIPTURAE SENSUM

D. O. M. N.

IN ELECTORALI PRINCIPALIA  
ELECTORIS MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO ELECTORIS  
SAXONIAE

FRIDERICO WILHELMO

ELECTORATI BRANDENBURGICO

RESIDIT

RESIDIT

IOACHIMISTO BREITHAUPT

S. T. D. Professor Publicus & Seminarius

Concilii Consilii Ducis Magdab.

Restorantur

M. JOHANNES GUILIELMUS


Onoldio-Franco

Ad disputationem P. R. XX. Novemb. MDC. XCIV.

WILHELMUS MAGDEBURGICUS

TYPIS CHRISTOPH. ANDREAE ZEITZERI, AC TY





I. N. 7.  
DE HÆRESI, JUXTA S. SCRIP-  
TURÆ SENSUM.

OBSERV. I.

Vocabulum Hæresis per se est μέσον, ut tam in bonam, quàm malam patem, accipiatur.

I.  
**H**ucem *etymologia* afferunt dicta Matth. XII, 18. & Phil. I, 22. utrobique verbum denotat inclinationem animi ad eligendum. Nomen ipsum hinc non perperam aliquando redditur, electio. Cum verò tot opiniones suboriri soleant in humanis, quot capita, mirum non est, quòd certa *dogmatum* electio appellata sit hæresis: ut proinde significet opinionem de aliquo dogmate firmatam. Ita *synonymum* est secta, disciplina peculiaris.

2. Eà ex *latitudine* est, quòd vox per se μέσον sit, usitata in utramque partem. Act. V, 17. dicitur *hæresis Sadduceorum*, pessima illa quidem, sed hoc loco insignita communi appellatione. Act. XV, 5. ipsorum credentium nonnulli describuntur ab *hæresi Phariseorum*; à quâ tanquam *exquisitissimâ*, prout confertur cum aliis Act. XXVI, 5. aliquantò facilior ipsis fuerat transitus ad Christianismum. Quâ posteriore locutione cum laudetur ista ab Apostolo, vox sensu meliore adhi-

A 2

4 DE HÆRESI  
adhibeatur, necesse est. Et verò Act. XXVIII, 22. est apertissimum, Judæos adhuc in medio relinquere, bene an secus de hæresi novâ censendum sit.

OBSERV. II.

Ex usu, propter emphaticam vocis notationem, fieri potuit, ut sensim rationem quandam malam potius, quàm bonam, designaret.

1. Significationum, quæ in sequiorem sensum abiêre, origines sunt diversissimæ. Arbitramur, ex *emphasi* vocis accidisse, ut eâ affectus consecrandi potius pravus, quàm laudabilis, exprimi videretur; præsertim cum depravata natura ejus sit conditionis, ut gerat se proniorem ad captanda mala, quàm ad bona. Quâ quidem concupiscentiâ postquam est factum, ut *captio* plerumque esset *deceptio*, similiter in Græca lingua *αἰσῆσις* mutationem in significando subiit, vocis vim absorbente usu, utpote qui sequitur *judicium* commune, ab experienciâ quod peti assolet.

2. Satis manifestum hoc apparet Act. XXIV, 14. ubi Paulus minimè in bonam partem accipit, quòd ipsum accusantes, doctrinam Christianam v. 5. vocâssent *Nazarenorum illam hæresin*: simul innuens, loquendi usu nomen illud effectum esse durius, ac recessisse à sapientiæ cultoribus, & propriè in eo, qui sequiora sectaretur, remansisse. Idem sensus reperitur 1. Cor. XI, 19. Gal. V, 20. 2. Petr. II, 1.

OBSERV. III.

Usurpatur de aberratione non tantùm intellectus, sed etiam voluntatis simul.

I. Quod

JUXTA S. SCRIPTURÆ SENSUM. 5

1. Quòd *intellectus* aberrationem notet in Scripturâ hæresis, negabit nemo, qui suprâ adducta SS. literarum loca fideliter ponderaverit. Sanè vel illa hoc evincunt satis, quæ de *Judaorum Sectis* agunt; Act. V, 17. XV, 5. XXVIII, 22. Etsi enim nec deerat, quo Pharifæi à Sadducæis quoad vivendi agendique viam disfiderent, tamen eorum discrepantiam in credendis fuisse positam, liquet ex Matth. XXII, 23. 24. Act. XXIII, 8, 9. Omnino autem mentis intelligentiæ hæresis tribuitur Act. XXVIII, 22. conf. cum v. 20. licet hîc neq; in bonam neque in malam partem feratur significatio.

2. Ex I. Cor. XI, 18, 19. si quis contendat, vocem *schismatum* & *hæresium* usurpari *synonymicè*; posito isthoc, nondum efficietur, hæresin nullo modo ad intellectum pertinere, siquidem absque opinionis quodam errore nec schisma ullum existit. Neque verò, si schisma & hæresis ibi *synonyma* essent, ut voces modò *latius*, modò *strictius* inveniuntur, ex eo verbis alibi expressis detraheretur quidquam. Cæterum ut *synonymicè* summam schismata & hæreses, cum *Chrystomo* in hunc locum, certè adduci nequeo, sed *Tertulliano* assentior. Conjecturæ locus daretur, si legeremus: *dei γὰρ αἰρέσεις ἐν ὑμῖν εἰναι*: at verò, cum videam & maxime emphaticum insertum, & res ipsa & Paulinus stylus, qui *particulam* hanc non admittit otiosam (conf. Phil III, 12. Class. Phil. S. I. 3. tr. 7. c. 3. 4.) *synonymias* suspicionem omnem tollit. Quanquam nullus negaverim, eatenus hæreses respicere schismata, quòd illæ hæc attrahant I. Cor. I, 10. supponantq; voluntatis pravitatem: quapropter & inter opera carnis, appetitum potissimum spectantia, unà cum rixis ac disidiis, pariter ad intellectum atque voluntatem referendis (conf. Rom. XVI,

17. Neasdem poni Gal. V, 20. non est quod miremur. A contextu verò 1. Cor. XI, 19. acceptionem de erroribus haud alienam esse, ostendit indoles argumenti à minore ad maius; ubi non opus, ut de eo, quod minùs verisimile est, antecedentia & consequentia ex instituto agant, modò quæ magis verisimilia afferuntur veluti contextus viscera, ipso illo stabiliantur quàm firmissime. Ita enim illic affirmantur schismata locum facile invenire, si & hæreses oporteat esse, hac fini, ut probati reddantur manifesti. At enim *δοξίμων* & intellectui competere, ex opposito cogor discere Rom. I, 28. Præter locum adductum Act. XXVIII, 22. occurrit etiam alter 2. Petr. II, 1. prædicens futuros falsos doctores, qui *subintroducant*, nempe sub Apostolicæ doctrinæ nomine, hæreses exitiales, & *abnegent* Dominum, qui illos mercatus sit: nam hæresin hîc iterum de intellectu dici, haud obscurum est, licet voluntatis pravæ consortium accedat. Judas v. 19. etsi exponit, quinam & quales sint *ἀποδοκίμοι*, à quibus & schismata & hæreses proficiscantur, tamen hæresi commercium esse cum intellectu, nec *πῦρως*, nec *κατὰ διάνοιαν* negat: quin potius hoc affirmat, jubens ipsos *se superædificare sanctissimæ suæ fidei*, v. 20. quæ si intelligitur *sensitiva & experimentalis*, ut 2. Cor. XIII, 5. superædificatio quidem fieri nequit absque fundamento ejus *dogmatico*; quod Apostolum non excludere, videre est v. 3. conferendo cum Gal. I, 23. Quocirca B. Lutherus in *Catech. Maj.* pag. 540. graviter monet, *fidem necessario aliquid habere, quod credat, hoc est, cui innitatur, & quâ re suffulta persistat.*

3. Quemadmodum Scripturæ adversatur, si negaveris intellectum aberrare in hæresi, ita non refragabor, si negaveris, intellectum solum in hæresi aberrare.



JUXTA S. SCRIPTURÆ SENSUM. 7

rare. Quando hæreticus Tit. III, 10. describitur ever-  
sus & peccans, ἀταξία notatur non minùs in volunta-  
te, quàm intellectu: quod ipsum superiora quoque e-  
docent ex 2. Pet. II, 1, 2. Gal. V, 20. & 1. Cor. XI, 19. immò  
quòd tantùm οἱ δοκιμοὶ hæreseos expertes statuuntur  
inter Corinthios, æquè pro voluntate, ac intellectu  
facit. Cùm verò adversus veritatem nihil solidi pro-  
ferri potest, nec tamen mutatur sententia ob inane  
quoddam obstaculum, voluntatis vitium reputatur.  
Si quis autem hunc respectum ad *subjecti conditionem* re-  
ferat, quæ non nisi à *posteriori* compleat quasi hæresin;  
equidem neq; à *priori* ipsam à voluntatis crimine im-  
munem pronunciarim, quoniam ejusmodi negatio  
apud Christianum non existit, nisi affectu pravo in-  
tellectus irretiatur. nescio an alibi in sacris hoc clari-  
ùs doceatur, quàm 1. Tim. VI, 4, 5. Denique *essentia-*  
*lis rationis* indole fit, ut ipse error, qui appellatur hæ-  
resis præcisè ad voluntatis & animæ totius corru-  
ptionem ducat, connexus intimè cum fugâ & veri &  
boni; dicaturque etiam hinc ἀρεσις ἀπωλείας 2. Petr.  
II, 1. quemadmodum Ephes. IV, 22. cupiditates sunt er-  
roris, quæ ex errore quodam orintur, eundemque au-  
gent, & contra v. 24. *justitia & sanctitas veritatis*. Ita  
ergò hæreses sunt ipsæ ἀπωλείας, exitia, opponunturq;  
*via veritatis*, πλαστοὶ λόγοι, ficti sermones. 2. Pet. II, 23.

OBSERV. IV.

Hæreticus, ut talis, haberi nequit, nisi apud quem  
circa negandam veritatem divinam explorata  
fit voluntatis perversitas.

1. Apostoli verba sunt Tit. III, 10. *Hereticum homi-*  
*nem post unam & alteram commonefactionem rejice: ut qui*  
*nôris,*

nōris, eversum esse eum, qui sit ejusmodi, & peccare, ut qui su-  
 opte iudicio sit condemnatus. Loquitur de aliquo ex fi-  
 delium cœtu, qui salutarem Christi doctrinam am-  
 plexus, vel ita edoctus fuerit, ut ejus & veritatem &  
 efficaciam non potuerit non, si voluerit, assequi. Neq;  
 enim de alio scire possum, num ex fundamento pristi-  
 no meliore, quod vel *affectivè* vel *completè* fuerit penes  
 se expertus, eversum sit, peccetque eo ipso, quod quæ  
 rectiùs nōrit, malignè repudiet, suo se iudicio conde-  
 mnans. Licet verò hujusmodi homo olim instructus  
 veritate extiterit, tamen cùm tanta sit imbecillitas hu-  
 mana in *spiritualibus*, ut quæ quis in spiritu vel optimè  
 perspexerit, mox admisâ persuasionis cujusdam cali-  
 gine ignorare videatur; vel etiam *indirectè* illa subruat,  
 alias opiniones occultè oppositas subintroducens; pec-  
 cètne ita ex infirmitate & ignorantia, an verò ex *proa-*  
*resi* ac malitiâ affectatâ, & quidem præfractè domi-  
 nante; sciendum ex redargutione Dei verbo factâ, non  
 unâ modò, sed & alterâ, ut & resipiscendi & pertinaci-  
 am dijudicandi locus detur.

2. Antequam exploratio isthæc instituta fuerit,  
 rejiciendum quenquam non existimat Paulus, neque  
 adeò habendum hæreticum *ut talem*, h. e. qui tanquam  
 hæreticus intellectu ac voluntate sibi constet, & absq;  
 hæsitatione judicari perversus queat. Quod ipsum o-  
 mne admodum illustrari potest ex 1. Cor. XI, 19. Si  
 namque oriuntur hæreses, ut in tentationis horâ ap-  
 pareat, qui probatos se sistant; nec verò horum ratio  
 aliter evadit manifesta, nisi huc & illuc inclinantes  
 probentur, nunquid veritatis fundamenta solidè ad a-  
 nimum revocata deserturi sint, an vindicaturi; non  
 celeriter fanè rejiciendus quispiã ut hæreticus, quam-  
 vis

JUXTA S. SCRIPTURÆ SENSUM. 9

vis hæreticorum opinionem aliquandiu præ se tulerit. conf. Eph. IV, 13, 14.

3. Quando autem in hæretico, *ut tali*, supponitur fundamentorum veritatis *adequata* ad assensum præbendum notitia, non negamus, hæreticos dici quodammodo posse, seu potius *hæreticos homines*, qui in seclâ vivunt hæreticâ, & hæreticas opiniones fovent, nec fortè idoneæ institutionis unquam participes facti sunt. Etsi enim hæreticus, ut talis, nemo ex iis haberi potest, donec voluntatis ipsius ratio circa hanc rem digno modo explorata fuerit, tamen quæ nondum à completo statu ei competit denominatio, ab errore tamen, in quo hic versatur ac perseverat, *synecdochicè* illam adsciscit, nec tam propter communionem, in quâ est, quàm ob mentis corruptelam, ceu innuit ipse Paulus Tit. III, 10. *subjectum* explorandum ac commonefaciendum nominans *hæreticum*, hominem impiis captio- nibus deditum; tametsi, ut tanquam hæreticus tractetur & deseratur, priusquam informationem plenio- rem indeptus sit, fas non esse ratus.

OBSERV. V.

Hæresis est apud eum, qui Christum profitetur, & intellectus & voluntatis aberratio, quæ ex sententiæ naturâ haud consistere potest cum invocatione Dei verâ ac vivâ, (sive per se sive per accidens ipsam evertat) informatione Scri- pturarum eam in rem satis auditâ.

1. Errorem non quemvis in Ecclesiâ Apostolicâ ap- pellari hæresin, ex *predicatis* animadvertere licet I. Cor. XI, 19. 2. Pet. II, 1, 2. Tit. III, 10, 11. quæ planè common-  
B
strant,

strant, agi de aberratione intellectûs & voluntatis (conf. Observ. III.) ejusmodi, qua tollatur funditus invocatio Dei in spiritu ac veritate, unâ cum annexis spiritûs operibus. Idem confirmant loca cætera, ubi vox quidem hæreseos non occurrit, ipsa tamen res declaratur: ut Rom. XVI, 17. Gal. I, 8, 9. V, 2, 3, 4, 8, 9. Coloss. II, 18, 19. I. Tim. I, 5, 6, 7, 19, 20. IV, 1, 2, 3. VI, 3, 4, 5. 2. Tim. II, 16, 17, 18, 19, 20, 21. I. Joh. II, 21, 22, 23, 24. IV, 1, 2, 3, 6. 2. Joh. v. 7, 8, 9, 10. Hebr. XIII, 9. Jud. v. 4. 18, 19, 20. Vera namque & viva Dei invocatio est ipsum salutis *medium* unicum Rom. X, 13. neque sic uno semper consideranda modo, sed prout diversâ revelationis divinæ *perio- do* factum, ut Deus se plenius cognoscendum atq; adorandum patefecerit. *ibid.* v. 14. & Joh. XVI, 23, 24. Scilicet adorare Deum ignorato salutis fundamento, quod scire poteras ac debebas, opus vanum esse, & veræ adorationi oppositum, docet Christus Joh. IV, 22, 23. conf. Joh. XVII, 30, 31. Eph. IV, 17, 18. Magni ergò interest, de quo tempore vel *Novi* vel *Veteris Testamenti* quærat, quinam errores sint fuerintve hæreses: unde & nos haud quacunque ratione versamur circa hominem, sed hæreseos, quam nunc spectamus, *subjectum* statuimus eum, qui se Ecclesiæ Christianæ membrum profiteatur, atque ita audierit plenè (audire certè potuerit) quæ ad salutem creditu sunt necessaria. Quòd si autem demonstraverimus, quibus *dogmatibus* non modò ignoratis, sed etiam pervicaci animo negatis, invocatio Dei sub Novo Testamento prorsus diruatur, de hæreseos naturâ non ampliùs dubitandum erit.

2. Uti *conditionis* de institutione *integrâ* necessitatem ostendimus superiori observatione, sic omninò supponimus, illam è sacris literis circa omnia myste-  
ria,

JUXTA S. SCRIPTURÆ SENSUM. II

ria, ad salutem necessaria, eatenus impleri posse, ut secundum hunc, non alium sensum, agnoscenda ista sint. Irritum esset monitum ac præceptum de unâ atq; alterâ *vsθεσία* (conf. Coloss. I, 28.) nisi eâ redigi deberet alter ad eum *conceptum*, quem instituens tenet: neque enim quisquam suggerere alium fideliter potest, quam ipse quem foverit. Nequis verò arbitretur, ad Titum III, 10. non agere Apostolum de credendis mysteriis divinis, sanè agit de quovis hæretico; hunc verò & ob credenda, si pernegaverit ista, fieri, docet Petrus 2. ep. II, 1. docet Johannes 1. ep. c. II, 22, 23, 24. IV, 2. & c. 2. ep. v. 7, 8, 9, 10. nec non Paulus supra num. 1. adductis locis.

Ad rem quod attinet, quando inter hæreticos & orthodoxos litigatur, an divinæ essentiæ mysteria in hoc vel illo dicto clarè sint revelata, & an secundum hunc vel illum sensum agnoscenda? non sufficit hujusmodi contrad. etio, ad probandum, quòd non æquè, ac clara sunt verba, etiam sensus definitus clarusq; ex iis concipi ab omnibus idem possit ac debeat; nisi interpretationem omninò omnem statuere dubiam voverimus. Respondebitur, distinguendum esse inter indagationem, quæ circa infinitum, & quæ circa finitū *objectum* versatur; nam infiniti convenientiam nullam esse cum intellectu finito, nec in tantum quidem, ut, præter opinionem aut meros *conceptus negativos*, scientia vera seu *positiva* produci queat. Verùm enim verò committetur hîc eadem confusio, quam *Pontificii* efugere nequeunt, negantes scripturæ S. perspicuitatem in iis, quæ ad salutem necessaria sunt. Est enim alia, *evidentia rerum*, in se spectatarum, quam negandam ultrò cedimus; alia *verborum*, quam sequuntur *species*, de horum sensu animo imprimendæ. Ubi rem

intueor coram, sicuti est, sequuntur illæ ipsius rei præsentiam, ut incurrit in sensû; at ubi verba, rerum signa, tantummodò suppetunt, illæ non formantur ex rei ipsius peruestigatione, sed fluunt ex verborum significationibus: hæc verò si *infallibilia* sunt, non licet in dubium vocare *conceptus* veritatem, eò quòd res fuerit absens, nec perspicì possit. Urgetur: ita quidem habere in finitis, non item quoad infinitum, utpote quod non nisi per *similia* à mentibus finitis cognoscatur. Concedo, quòd videri hinc posset ambigua interpretatio, si dicta in Scripturis exhiberentur humana (*σοφισμένοι μύθοι* 2. Petr. I, 16.) nec *firmiorem haberemus sermonem Propheticum* (ib. v. 19.) aut cuius auctoritas *infallibilis* non niteretur & sapientiâ & bonitate & potentiâ divina: *sapientia*, quâ factum, ut Scriptura Sacra iis constet vocibus & locutionibus, quæ quàm accommodatissimæ sint ad exprimendas ejusmodi notationes, per quas *objectum* infinitum concipiatur, notitiâ *in tantum positivâ* & verâ, in quantum hanc Spiritus Sanctus in nobis, ut est captus hominum, producendam intendit (ibid. v. 20, 21.) *bonitate*, quâ factum, ut Deus hominum imbecillitati consuluerit, ne sit opus, præscripto ordine observato, in erroris sensum vel incidere, vel in eo detineri, nisi quis reperiri velit *inexcusabilis*. Joh. VII, 17. *potentiâ*, quâ factum, ut eâ polleat efficaciam verbum Dei, quâ proximè ingenerare possit mentibus nativum & proprium sensum ipsius auctoris sanctissimi (1. Thess. II, 13.) eoque potius, quò difficilius, nec minùs verum tamen est, Dei verbo inesse facultatem persuadendi, quæ à corruptâ ratione sunt alienissima. Excipietur quidem, non negari ejusmodi quid de *objectis* Scripturarum finitis, sed de  
infi-

JUXTA S. SCRIPTURÆ SENSUM. 13

infito: respondeo autem; ubi excipiuntur verba de infinito, circa quòd multo magis id necessarium est? Si arguas, Deum non requirere in divinis *conceptum* certum *intellectualem*: arguo, requirere; & probavi hætenus, quòd possit requirere; nec non suprà, quòd requirat. conf. cum locis sub init. hujus §. allatis illa, quæ §. i. congesfi, quæque jam ex intervallo partim repetentur, partim addentur cum uberiore causæ hujus declaratione.

Amoveamus prius & hunc scrupulum: si tam clara sit Scriptura, etiam in *credendis* juxta Spiritus Sancti expressam mentem apprehendendis, unde, quòd hæretici omnes provocent ad Scripturam? quis judex? Prioris culpa in voluntate aberrantium ponitur 2. Cor. IV, 3, 4. quam ob causam nec hæresis, in *subjecto* spectata, est talis, donec obfirmata malignitas pateat. Judicem verò esse verbum Dei, quatenus *normam*, non absque spiritus efficacitate considerandam, & Scriptura 1. Joh. V, 6. 10. 13. (conf. cum Joh. V, 39. XII, 48.) & juxta ipsam testimonii interni experientia unumquemq; docere potest. Neque obstat, quòd & hæretici pro se Scripturam adducant. hinc enim nihil plus consequitur, quàm hæreticum non profiteri se hæreticum; qui tamen divino caret fundamento, & sigillo isto, quòd *Dominus ipsum ut suum norit*, quòd ipse *recedat ab injustitiâ*: in quâ quoniam is veritatem detinens *fundamentalem* negat, hæreticus est. 2. Tim. II, 19. conf. cum Rom. I, 18. Interim verè fidelis agnoscit judicem, Dei verbum, absque oppositi formidine, spiritu Dei unctus & obsignatus, 1. Joh. V, 10. 20.

Si quis tandem putaverit; hæc ipsa *unctio* cum ex parte voluntatis incipiat, intellectusque ejus particeps fiat

fiat *passivè*, intellectum quidem in mysteriis percipiendis etiam *passivè* affici, *activè* autem se non ita exferere, ut conceptus unanimis requiri debeat, verum pro cuiusq; *receptivitate* diversum hunc esse absq; salutis detrimento posse, modò in iis non aberret, quæ *immediate* praxin dirigunt: tametsi prius toto animo amplector cum Paulo Gal. IV, 9. Phil. III, 12. & tanquam unicum veræ cognitionis fundamentum propugnandum judico 1. Cor, VIII, 2, 3. posterius tamen negare oportet constantissimè. Consideremus in *Epistolis ad Ephesios & Colossenses*, quantopere Spiritus S. laboret in declarando, quòd in Christo omnia in unum recolligantur, quodque omnes, qui ei ut capiti fide ac spiritûs efficacis communione firmiter adhæreant, teneant unitatem & soliditatem ipsius in Christum fidei, quam edocti sint, ne quovis doctrinæ vento circumferantur. Coloss. II, 5. 7. 19. Eph. IV, 13, 14. Pulchra est hujus rei illustratio apud Cyprianum de *Simplicit. Prælat. Ecclesia una est, quæ in multitudinem latius incremento fecunditatis extenditur: quo modo solis radii multi, sed lumen unum: & rami arboris multi, sed robur unum tenaci radice fundatum. Et cum de fonte uno rivus plurimi defluunt, numerositas, licet diffusa videatur exundantis copie largitate, unitas tamen manet in origine. A velle radium solis à corpore, divisionem unitas non capit. A fonte præcide rivum, præcisus arefcit. Sic & Ecclesia Domini luce perfusa, per totum orbem porrigitur: unum tamen lumen est, quod ubiq; diffunditur. Unde ergò hæreses, strictè ita dictæ? nisi, quòd veritatis scaturigo non servetur, nec verborum Christi capitis integritas custodiatur incorrupta, sed perversis dirimatur conceptibus. Etsi enim fatemur, dedecus in Theologia pudendum esse, si unitas spiritûs ponatur in mero con-*

fes-



JUXTA S. SCRIPTURÆ SENSUM. 15

*fessionis* consensu, qui umbra illius tantum externa est; tamen nec vivida spiritus communio subsistit, ubi dissolvitur *pacis* cum internæ, tum externæ *vinculum* Eph. IV, 3. hoc quippe (in voluntatum unione situm) est nullum, si mentes non consentiant in Christo. Quando idcirco Apostolus ib. v. 4, 5, 6. in Christo ostendit fidelibus omnibus nihil non unum & commune dari, unum Deum, unum Dominum, unam vocationis spem, unum baptisma, unum corpus, unum spiritum, atq; inter illa etiam unam fidem, ut ex eo fundamento concordia necessitatem monstret; hæcne ita intelligenda fuerint, ut, cum in omnibus unum quid intueantur Christi membra, excipiat solùm neganda unitas mentis seu *conceptuum*, de mysteriis creditu necessariis? Minimè verò. absque hæc enim nec una esset fides, tum *experimentalis*, tum *doctrinalis* (conf. ibid. v. 13, 14.) nec concordia. Dices *Cypriani* verbis: *unitas tamen manet* in origine: ecce! autem, *numerofitas* quidem manere unitas potest in origine; ast non *diversitas*, quæ originem aliter atq; aliter seu immutat, seu deserit. Atq; id metuendum esse, easdemque propterea notiones desiderari, nec non eosdem ex iisdem sensibus sermones, idem aperte asseverat 1. Cor. I, 5. 10. Philip. II, 2. III, 16. &c. Largior equidem, in nonnullis, etiam circa mysteria, dispares sententias unitatem spiritus haud tollere (nam haud lædere, nullus dixerim) sed in iis mysteriorum partibus, quibus Christus tanquam caput tenendus est Coloss. II, 19. si à sensu vero pertinaciter mens discesserit, unà cum capite & spiritus amittetur. Itaque in his saltem eadem sentiendi ratio summè est necessaria.

Quòd si autem de aliquibus rebus maximè divinis  
id re<sup>ar</sup>

id requirit Deus, ut Pauli præceptiones monstrant; certum est pariter, *actualement* intelligentiam circa illas occupatam esse oportere. De quo ut dubium nullum relinquatur, denuò perlustrentur sequentia: Rom. XVI, 25, 26. I Cor. I, 5, 6. II, 7, 12, 13, 14, 15, 16. VIII, 6. XIII, 12. Ephes. I, 8, 9, 18. III, 18, 19. IV, 18. Phil. III, 15, 16. Coloff. I, 9, 23, 27, 28. II, 2. &c. I. Tim. VI, 3, 4. 2. Tim. I, 13. II, 18. III, 14, 15, 16. Tit. I, 9. 2. Pet. III, 1. I. Joh. II, 21, 22, 23. IV, 2, 3, 14, 15. V, 5, 10, 13. 2. Joh. v. 7, 9, 10, 11. Ne quis verò existimet, tot effata afferri tantùm de *voluntatis* divinæ mysterio, nec de essentiæ mysterio talia quidquam certi intelligendum exigere; reputandum monemus, quòd pleraque agant de totâ doctrina Christiana, cujus pars primaria istud est; atque exempli loco proponimus ex compluribus I. Cor. VIII, 6. Col. II, 6. I. Joh. II, 20, 21, 22. &c. quærentes, nunquid negari possit, respicere hæc *in ordine ad cognoscendum* & illa, quæ sunt mysterii essentiæ? Si Deus unus credendus, neque aliter sentiendum ipsa mente, si Pater, si Filius, si Spiritus S. idem credendus; quæ pertinere ad *sermones Domini nostri Jesu Christi*, quos tanquam fundamentum salutis identidem Apostoli exquirunt, Evangelistarum testimonia pasim testantur: nonne intellectus est, circa eadem à præscriptâ (*ὑποτυπώσει*) verborum normâ nullo modo aberrare, ut, qui ausit eorum quædam pernegare, sit *antichristus* aut *hereticus*? I. Tim. VI, 3. &c. I. Joh. II, 22.

Rei cardo & *analogia* in hoc uno vertitur, quòd imago Dei penes hominem ad salutem reducendum instauranda sit in facultatibus universis, nec modò in voluntate, sed ipso etiam intellectu. 2. Cor. III, 5, 13, 18. IV, 4, 6. Joh. XIV, 7, 17. &c. Non video, quid dubitationis

JUXTA S. SCRIPTURÆ SENSUM. 17

nis remansurum sit ponderanti comparationem, quæ instituitur 1. Cor. XIII, 9. 11, 12. inter cognitionem hujus & futuræ vitæ: hîc *cognoscimus & ratiocinamur ut infantes*, videlicet *ex parte*; tunc *cognoscemus* perfectè, *pro-ut cogniti* fuerimus. Amore Dei perfruemur, atq; ipsum amabimus; agnoscemur à Deo, & agnoscemus ipsum. Quemadmodum proinde neque hîc negatur amor, ut *passivus*, ita *activus*; nec negatur cognitio *passiva*, ita nec *activa* negari potest. una est analogia, si verbi divini ratio consideretur, suprâ declarata. Nec de mysteriis quidquam, quoad Scripturarum exhibetur *enigmatè*, veluti haud cognoscendum excipitur; tametsi contemplatio hujusmodi extenuatur, ac dicitur ex parte fieri. *Videbimus Deum, sicuti est*: cum Paulo nostro inquit Johannes 1. ep. c. III, 2. si ergò finitum tam pleno cœlestis lucis fulgore aliquando illustrabitur, ut absque involucro cognoscere ac videre possit infinitum, sicuti est; cur non ejusdem perspicientia ex gratiæ lensu provehatur eò in præsens, ut de infinito *conceptum* proposito ænigmati saltem consentaneum formet? præsertim cum mens, imbuta Spiritûs S. lumine, intelligendi vires non exuat, sed eas nunc queat *sanctificatas* aliquo modo exserere. Hoc nimirum est, cognoscere *ex parte*. Neque enim, si de mentis *conceptibus* loquimur in Theologiâ, id de *merè intellectualibus* sumendum est propterea, quòd plerique sic abutantur cognitione, ut hanc ab amore Dei segregantes, committant intelligendo, ut nihil intelligant, ceu sæpe notamus ex 1. Cor. VIII, 2, 3. alioqui incommodum idem ex alterâ parte emerget, ut alii mysteriis, quatenus sunt patefacta, susque deque habitis, *volentes* tam turpiter abducantur à vero, ut nihil verè velint. Nam qui *negant* mysteria, ut audita sunt

C.



sunt à principio, hi *abducentes* sunt: *negantes Filium, nec Patrem habent.* 1. Joh. II, 22, 23, 24, 25, 26. Abusus neutrâ ex parte usum tollat in mysteriis, tanto cum rigore mandatis: sed usus verus ac sobrius eo fidelius inculcetur; quod quando negligitur ferè ab omnibus, culpa seculi & iudicium tremendum utiq; est. Interim veritatem non decet inclinare magis in sinistram aut dextram, quàm Scripturæ libra & intellectûs & voluntatis lanci pondera imponit. Ut enim γνῶσις è conceptibus merè intellectualibus est ψευδῶνυμος, atq; inflans hominem, ut sibi persuadeat scientiam, quæ tamen falsa est, nec meretur hoc nomen (1. Tim. VI, 20. 1. Cor. VIII, 1, 2.) ita ἐπίγνωσις, cognitio *affectiva* in spiritu, non datur, quin γνῶσις parturiat; quæ etsi non semper exprimi verbis potest, tamen si dicta divinitus præscripta invenit, his subscribere nullo modo veretur ita, ut hunc, non aliû sensum amplectatur. Quamobrem liberetur vox *conceptus* ab *equivocatione*, & quæ vocis vi connotatur *comprehensio*, in scripturis prorsus fundata observetur, appliceturq; ad totam hanc causam; ut, quæcunque loca de intellectûs negotio in *spiritualibus* allata fuerint, haud aliter capiantur, quam patitur dignitas *supernaturalis* fidei, quæ *conceptus* veros alios nullos agnoscit, quàm qui nascantur ex *commistione* verborum Dei cum voluntatis & intellectûs usu intimo atque attentissimo Hebr. IV, 2. ἐν ὅλη τῇ διανοίᾳ Matth. XXI, 27. ut *voces & literæ Domini digerantur*, sicut *Patres* de conceptibus veris solent scribere; nec voluntas absq; intellectu, neque intellectus absq; voluntate fidem completam sistat, nedum fidei *conceptus*: quam *Thomas Aquinas* appositè *circulationem perpetuam* dixit. alterius sic *Altera pars exposcit opem, & conspirat amice.* Ita *Maria*  
verba

JUXTA S. SCRIPTURÆ SENSUM. 19

verba conservat *in corde*, verum & mentis operatione *confert*, expendit *in corde suo*. Luc. II, 19. Damus etiam hoc voluntati, quod *Renovationis* opus in ipsâ multo magis, quam intellectu, se exferat, eoq; Scriptura tendat potissimum, & quam maxime circa mysteria: quorum non rationem esse rimandam, sed meditandum usum, ut *mysteria sint pietatis* I. Tim. IV, 16. Paulus, & juxta ejus sententiam Lutherus ac Chemnitius fidelissime lectorem commonefaciunt. Sin contra abstulerimus omne certum ac definitum veri falsiq; discrimen à cognitione mysteriorum, cessabit ædificatio ex ipsorum meditatione, licet non nisi simplicissima adhiberi debeat Ephes. II, 21. Jud. v. 20. destruetur fidei ordo, nec misceri poterit sermo cum ipsa voluntate; quæ in quantum periculum adducatur, negante vel posthabente intellectu, quæ de mysteriis conscripta sunt, Christus & Apostoli & experimenta fidelium testantur. Minimè ergo separanda est quæstio de *conceptibus mentis* ab ea de *cordis affectibus*, cum *œconomia gratiæ* in contrarium militet, nec non hac in re etiam *natura* ac *notionum internarum* indoles. Non minùs verè, quam pulchrè Augustinus tr. in Joh. 96. ad c. 16. *Non diligitur, quod penitus ignoratur, sed cum diligitur, quod ex quantulacung; parte cognoscitur, ipsâ efficitur dilectione, ut melius & plenius cognoscatur.* Sic in naturalibus: ast quanto magis in spiritualibus! Quapropter & ambabus concesserim, *in* tantis officium in amando potius, quam cognoscendo patre consistere; modò nec amor absque intellectu *activi* consortio qualicunque concipiatur, quo & in parvulis semper opus est, ipsiq; parentes utuntur, ad eorum erga se amorem excitandum. Diximus: qualicunque; nec in divinis tamen quocunque



contentum me esse volo, sed tali demum, quod à Scripturæ dictis, quibus Dominus intelligendi sui rationem, ad amandum se necessariam, patefecit, nullatenus abscedat. Si repetatur: hæreticorum nullum fateri, quòd abscedat: revocanda est causa ad spiritum Dei, testantem & judicantem è Verbo intra fidelem unumquemque. Joh. VIII, 27. 1. Cor. II, 12. quæ res quando occulta est, non impedit, quò minus, qui ipsâ pollet, alterum, perspectâ ipsius pertinaciâ, animadvertere hæreticum possit. Tit. III, 10. Judicium verum auctori certum est: idq; dies Domini declarabit, confirmabit; falsum condemnabit.

3. Superest, quomodò fiat hæresis, licet sanctificationem *per accidens* modò evertat, exponamus. Vera ac viva Dei invocatio est ipsa unio spiritualis cum Deo, *sanctificatio* Theologis *late* dicta. Ut detur illa, supponi fidem ex audito & prædicato Evangelio, didicimus Rom. X, 13, 14. nec non, quòd ea posita ponat salutem æternam, sublata eandem unâ tollat. Peccatum regnans utramque diruit, nec tamen dici potest hæresis; est aberratio voluntatis, quin etiam intellectûs, nec tamen dici potest hæresis. Hæc etenim *ex parte* intellectûs in *genere* doctrinarum spiritualium existit, quæ si veræ sint, ad fidem sese habent, tanquam causa *instrumentalis* ad effectum; si falsæ, similiter ad *ἀπισίαν*. Neque tamen omnis error hæresis est, quamvis omnis hæresis, quæ in vitio ponitur, nisi errore aliquo hæresis esse non possit: observante Augustino præfat. ad *Quod vult Deum*. Ita qui non audiverint prædicatum Evangelium, si negent, quæ sunt fidei Christianæ, hæreseos notam non sustinent, quantumvis errent miserrimè; nec ipsi evertere dicuntur invocationem Dei, quando hac destituuntur.

Neque

Neque verò, qui illud audiverint, ex quovis errore circa Evangelium hæretici judicandi sunt; verum ex eo tantum, ex quo constanter asserto salutaris Dei invocatio subruatur. Licet enim *Hæresis* vi vocis de omnibus dici posse videatur, qui certam opinionem falsam sectati fuerint; tamen, cum variam admittat vox ista significationem, ultimo autem eam contraxerit, quæ hominem communionem Ecclesiasticam indignum reddat; sollicitè cavendum est, ne latius hæreseos nomen usurpetur, quam designetur in Scripturis, tanto cum detrimento conjunctum. Sic verò *determinatur* illa à *Petro*, quòd sit sententia ἀπολείας, exitii; & explicatur à *Paulo*, quòd eam pertinaciter retinens, eversus ita peccet, ut suo se condemnet iudicio; secundum *Judam*, ut spiritum non habeat; secundum *Johannem*, nempe spiritum, qui ex Deo fit.

Facile nunc quidem intelligitur, *dogmata*, quæ *per se & directè* unionem cum Deo dirimunt, absque omni dubio hæretica esse: v. c. si quis in Ecclesiâ Judaicâ negasset Christum venturum, in quo religio ipsa divinam benedictionem fundabat. Cæterum dantur, quæ non *directè* impediunt preces ac salutem, nihilominus impedimento prorsus iis sunt *indirectè & per accidens*: v. c. si quis in Ecclesiâ Judaicâ negabat, Christum illum Jesum Nazarenum esse: hæc enim *circumstantia* specialis ignorata, vel etiam negata à Nathanaele, tantum abest, ut hujus invocationem sustulerit, ut potius à Christo adhuc diceretur verus Israelita, in quo dolus non esset, etiamsi negasset tantam veritatem. At verò eadem negatio vitam spiritualem atque æternam præcludit aliis Joh. VIII, 21. 42. ratio est, quia apud hos *accesserat connexio accidentalis* Evangelij satis prædicati,

Deinde

C 3

& ope-

& operum à nemine alio patratorum. Joh. XIV, 11, 12. XV, 22. 24. Idcirco & doctrinæ hujusmodi, per quas saltem *indirectè* salus & gratia eruitur, si apud eum resideant, qui oppositum verum antea est professus, hæreses dicendæ sunt. Dixeris: sic verò quot hæreses prodibunt, quæ nunquam sunt tales habitæ? omnis enim error, quatenus pertinaciter fovebitur, erit hæresis; nam certè hâc conditione positâ invocationem Dei veram non tantùm lædit, verùm etiam aufert malitiosâ voluntatis perversitate. Quæ quidem ipso Scripturæ testimonio ut manifesta est ἀπαιδευσία, ac litium infinitarum seges 2. Tim. II, 23. ita ab Apostolo ad Titum III, 11. evitatur, quando is hæreticum non eversum modò & peccantem notat, verùm etiam ὄντα αὐτοκατάκριτον, suopte judicio condemnatum. Ecquis autem suo se judicio damnabit, præsertim si idem pertinacissimus describitur? v. 10. Itaque αὐτοκατάκριτος ille dicitur, qui veritatem antehac amplexus est tanquã salutarem, conscientiæ judicio convictus, eandemque nunc contrâ rejicit, atque ita ex pristinâ illâ sententia semet ipsum condemnat. quo pacto viduæ lascivientes 1. Tim. V, 12. censentur habere κέρμα, quòd *agendo* (Tit. I, 16.) ipsam primam fidem rejecerint, qua concupiscentias pravæ cum fide non stare posse agnoverant: & 1. Cor. XI, 19. hæreticis opponuntur δόκιμοι. conf. sup. Obs. III. §. 1. &c. it. Rom. XIV, 18. Statuendum proinde fateor, hæresin esse, ex quocunque dogmate, in ordine ad Christianam fidem agnitam, quisquam fieri possit αὐτοκατάκριτος. Talia sunt primùm, quæ *per se & formaliter* veram in Christo invocationem Dei everunt, hoc est, quæ qui firmiter sibi persuadet in Ecclesia N. T. sanctificationem absolutè perdat, necesse est.

Deinde



JUXTA S. SCRIPTURÆ SENSUM. 23

Deinde & illa, quibus negatis in Ecclesiâ N. T. non simpliciter unio cum Deo viva amittitur, sed quorum tamen ex naturâ sit, ut, si pertinaciter negentur, informatione scripturarum integrâ interveniente apud animum rationis usu non destitutum, fides in Christum *salvifica* subsistere nequeat. Prioris generis v. c. est, meritum Christi pro peccatis nostris nullum ducere: posterioris generis pernegare æternam Christi Deitatem: & similia. Neque enim Christianâ fide imbutus plenè esse ullus potest, quin salutis suæ fundamentum in iis ponat, quæ ex parte sui vel *absolute*, vel *secundum quid*, efficiant imaginem Dei instaurandam. Alia, quibus in negationem adductis contra demonstrationem ex sacris literis factam, tantum ex *subjecti* pertinacis *conditione* fides excutitur, cum ejus sint indolis, ut fides sincera absque iis, *formaliter* seu *virtualiter* agnitis, potuerit accidi, ex se non reddunt Christianum in *credendis* *ἀποκατάκειτον*, neq; adeò hæreticum, vel hæresin constituere possunt aut debent. Quid, inquires, si quis negarit, adultum ad veram fidem conversum, necessario (saltem *virtualiter*) agnovisse v. c. æternam Christi Deitatem? Res ipsa, inquam, id evincit, Scriptura clamat, piarum mentiû testimonia comprobant. Cujusmodi quid in *Articulis* singulis, qui huc pertineant, ostendere, peculiaris instituti est.

4. Suffecerit hîc, in *thesi* ex Scripturis demonstrâsse, quod non tantum errores, *per se* adducentes ab unionem cum Deo, sint hæreses, verum etiam, qui hoc faciant *per accidens*, sed nihilominus ex *essentia* suâ ratione spectatâ ad fidem: quos si quis etiam *directè* illud præstare contenderit, *λογομαχίαν* non amabo; tantummodò persistamus in communi hoc *canone*, *idemq; sentiamus*.

*tiamus* (Philipp. III, 16.) circa mysteria etiam divina, quæ, quoad certo modo sunt patefacta & cognosci possunt, ad amorem Dei, ex *habitudine* ad ipsum *constitutivâ*, reperiuntur necessaria (nonne ad hæc quoque pertinet *Filii Dei incarnatio*, cujus à Christiano agnoscendæ necessitatem quis negabit bonâ fide?) hæresin committi; quandoquidem, ut ex Dei gratiâ intellectui nostro *accommodatè* ad imbecillitatem nostram proponuntur, sic & credenda requiruntur atque animo concipienda. id quod alterum est, in quod tota hæc disceptatio resolvitur, suprâ etiam demonstratum. Si quid residuum manserit de variis *dogmatum determinationibus*, magis vel minùs tum *revelatis*, tum unicuiq; necessariis; huc quidem non æquè pertinet, ut ne rationi hæsitanti ullum subterfugendi locum relinquamus, aut labamur cum iis, qui, præter Scripturam hæreticos faciendo, faciunt, ut ipsi rejectanei fiant, *facientes mala, ut veniant bona; quorum damnatio justa est.* Rom. III, 8.

Nos verò ad Deum conversi deploremus seculi nostri pravitatem, ortamque ex hac infelicitatem, quâ fit, ut de fidei fundamento operosè adhuc in ipsâ mundi vesperâ disputare sit opus. Neq; verò omnem in eos culpam temerè transmittamus, qui inter nos justæ contradictionis limites in eâ disquisitione transgrediantur. Palàm non tam vereor, quàm profiteor, majorem illis tribuendam esse, qui tam frigidè Theologiam, atque hujus fontem literas sanctissimas tractant, ut quivis ipsarum lector, de salute suâ sollicitus, non possit non apertis oculis agnoscere, quòd docentium haud equidem pauci inciderint in mentem judicii spiritualis expertem: verum namque est, immò verissimum, pleraque ad voluntatem emendandam quæ scri-  
pta

pta sunt, vel non sine ejus spirituali affectu capienda, perverti intellectûs humani præsumtis interpretationibus ac *dialogismis*. 1. Cor. VIII, 2, 3. conf. Rom. I, 21. 28. verum quòd Scriptura S. de mysteriis parcè loquatur hoc ipso ostendens satis circa eadem nobis non nisi restrictè ac timidè versandum, cultusq; divini studium potius in cordis fidelis habitu augendo, quam mentis indagazione præpostera, exercendum esse; contrà autem à plerisque secus fiat, *invadentibus in ea, que non viderunt* (Coloss II, 18.) oculo intellectûs impuro atque ineptissimo, voluntatisque culturam spiritua- lem, unde isti afferendum lumen erat negligentibus quin & contemnentibus. Et quis verò salvà conscientia negabit, quemadmodum *Gentilium hypothesis* de intellectu (viribus humanis) perficiendo, in Ecclesiam primævam temerè illata, Antichristo maturitatem dedit, voluntatis curâ posthabitâ, sic B. *Lutberum* eandem malorum omnium causam agnovisse, aſt hodiè illam quasi postliminiò introductam adeò regnare, ut inter plurimos, qui Theologiæ nunc addictissimi habentur, Theologia vera ac *proprie* dicta quæratur frustra? Conf. Joh. Musæi *Introduct. in Theol.* p. 191. &c. Hinc tantum incommodum, ut alii, Theologiam Academicam non edocti, crassam inscitiam & broter- vam perversitatem animadvertentes, *orthodoxia*, tot corruptelis, spiritûs neglectu, obnoxia, parum credant, dubitentque aut negent tandem, quòd magno- perè curandum sit, intellectus de mysteriis quid sentiat, modò voluntas humana Dei verbo non renitatur. quæ sententia quantum ipsius voluntatis *sanctificationi* damnum inferat, optandum, ne nimis serò experi- antur. Non autem malo isti medebimur, sed tan-

D

quam

quam igni affundemus oleum, si indignationem illam, non tam ex origine causæ, quam hujus distractione peccantem, quibuslibet impotentiae generibus persequamur. Occurramus ei potius, & respondeamus dignâ sollicitudine, nihil molientes *contra veritatem*, sed *pro veritate* nihil non præstantes, fatendo, quæ peccata seu errata fuerint, monendo, quibus Scripturæ norma deseratur: ut, omni æquitate perspectâ, & ipsi recipiant sese ad moderationem, nos verò ne invidiamus iis, qui non sine culpâ etiam suâ ad majorem veritatis curam nos excitaverint. Scripsi hæc meo solius nomine, nec aliis quidquam præscribo: neque autem video, quomodo aliter stare potuerimus coram iudice Christo Jesu, cujus hæc res universa est; in quâ nec ullius auctoritatis præjudicium fovere, nec temerariorum calumnias reformidare oportebit. οὐ

γὰρ ἔδωκεν ὑμῖν ὁ θεὸς πνεῦμα δειλίας, ἀλλὰ δυνάμεως καὶ ἀγάπης καὶ σωφρονισμοῦ. 2. Tim. I, 7.

## COROLLARIA PRÆSIDIS.

I.

FUNDAMENTUM fidei est Dei misericordia in Jesu Christo, Scripturæ verbo patefacta: sive in *Articulo speciali de Justificatione*, sive ut *Confessionem Articulorum omnium* symbolicam spectes fidem.

II.

Fides ut dicatur aliquo modo *Amor Dei*, hic *passivè* ex parte nostri sumendus venit, quatenus divini amoris sensus, fidei *qualitas* & signum remissionis peccatorum est: nam *in charitate isthâc radicati & fundati* sunt,

sunt, quorum in cordibus inhabitat Christus per fidem. Rom. XI, 32. Ephes. III, 17, 18.

III.

Quando fides ponitur in intellectu ac voluntate simul, voluntas & intellectus non miscentur, sed Scripturæ ductu utraque facultas affirmatur *subjectum* esse illius principii, ex quo in *viribus humanis omnibus* imago Dei instauranda est. Optime Apolog. A. C. pag. 125. *Sicut terrores peccati & mortis, non sunt tantum cogitationes intellectus, sed etiam horribiles motus voluntatis fugientis iudicium Dei: ita fides est non tantum notitia in intellectu, sed etiam fiducia in voluntate.* Et paulò ante: *Fides, qua verè & ex corde assentitur promissioni gratia, non fit sine magno agone in cordibus humanis.* Et homines sani (hoc est, insaniam suam sentientes) facile iudicare possunt, illam fidem, qua credit, nos à Deo respici, nobis ignosci, nos exaudiri, rem esse supra naturam.

IV.

Nec fides, nec amor Dei, nec abnegatio sui &c. est opus Legis, sed opus & fructus Spiritus. Rom. II, 14, 15. III, 20. VII, 6. Gal. III, 21. V, 22. Confer. LL. Symbol. p. 596. 721, 22.

V.

Centrum & normam (*seu scopum*) omnium controversiarum, adeoq; *hoc respectu* finem & fundamentum, ad quod omnia referri debeant in confessione fidei, esse amorem Dei & odium sui ipsius, ita ut errores, qui ab utroque vel alterutro horum abducant, pro fundamentalibus & periculosissimis haberi debeant, verisimè affirmatur: nullos autem errores circa divinæ essentiae mysteria nos avertere posse à vivâ cognitione mysterii voluntatis divinæ, eo ipso, quòd intellectum, etiam illuminatum, superent; cum eate-

nus non superent, quatenus ipsorum cognitio à veritate primâ in SS. literis efficaciter intenditur, ipso intellectu ad præscriptam normam infallibilem apprehendenda; hoc verò negandum est constantissimè.

IV.

*Orthodoxos* inter & *Arianos* dissensus fuit ex argumento gravissimus, nec propriè tam de verbis, quam potiùs de re ipsa.

VII.

*Casistarum* definitio hæreseos, quâ est dissensus à communi Ecclesiæ doctrinâ pertinax, non immeritò repudiatur.

---

### COROLLARIA RESPONDENTIS.

I.

**C**HRI<sup>ST</sup>US luce suâ illuminat OMNEM Hominem venientem in mundum, Joh. I, 9. Syr. XXIV, 6. & 10. non omnes tamen eadem ratione, nec æquali gradu.

II.

Inter Christianos ordinaria ad illuminationem via est lectio vel auditio verbi divini, ductu Spiritus S. facta: non autem raptus Enthusiastici, nec meditationes ex naturalibus humanæ Rationis viribus institutæ.

III.

*Gentibus*, Judææ finitimis, scriptorum Prophetarum copiam factam fuisse, testantur vaticinia ad eas directâ: & Apostoli profecti in mundum universum prædicarunt Evangelium omni creature, Marc. XVI, 15. Col. I, 23. In eorum autem animis, qui ante & post Apostolorum tempora nec vocem, nec libros Θεοπνεύστου perceperunt, DEUS plerumque saltem lumen, quod naturale vocamus, excitando & dirigendo, opus legis cordibus inscribendo, & cogitationes invicem accusantes & excusantes suggerendo, operatus est, ita, ut, quæ legis sunt, facerent, Rom. II, 14, 15.

IV.

DEUM nonnunquam extraordinariis viis, v. gr. visionibus

bus Angelorum, & somniis, cum *Gentilibus* etiam egisse, liquet ex exemplo *Bileami*, Num. XX. *Magorum*, Matth. II. *Cornelii*, Act. X. aliorumq; in Genesi præsertim commemoratorum: quale genus illuminationis inter Orientales satis frequens fuisse, patet ex Hiob. Cap. XXXIII, à v.ii. usque ad 30. Tauleri quoque temporibus singularem quendam illuminationis modum Gentili cuiquam contigisse, legimus Vit. illius pag. m. ii. Et sanè facile fieri potuit, ut in disitis regionibus subinde magna electorum multitudo dispersa & incognita delituerit; veluti Eliæ ævo septem millia, ipsi Prophetæ ignota, sibi clam reserverat DEUS.

V.

DEUS quidem nunquam asseruit, se post Apostolorum tempora neminem plane *extraordinariis* modis illuminatum esse; nam illud Luc. XVI, 29. ad contemptores verbi scripti tantum pertinet, (vid. v. 31.) & si nimis strictè intelligendum esset, eodem jure Apostolorum & aliorum istius ævi Christianorum revelationes (quæ 1. Joh. II, 27. & passim in Paulinis epistolis celebrantur,) excluderet: veruntamen, qui ordinariis uti queunt, caveant, ne, his contentis, ex spiritali quâdam arrogantia extraordinarios modos temerè affectent, nec Satanæ vel imaginationis suæ ludibria pro cœlesti revelatione habeant: nemo quippe difficilius erroris convincitur, quàm qui eum divinitus sibi inspiratum opinatur.

VI.

*Infimus gradus* illuminationis Gentilibus ante CHRISTI adventum competebat, quos DEUS tunc siverat in suis ipsorum viis incedere, Act. XIV, 16. i. e. magis ex arbitrio suo vivere, ita nimirum, ut non æquè præscriberet ipsis certam cultus externi rationem Psal. CXLVII, 19, 20. (conf. Deut. XII, 8.) nec tam solenni & miraculosâ præsentia Ecclesiam inter ipsos constitueret, quàm inter Hebræos: quanquam non planè voluerit esse ἀπάγνωστον, sed, uti jam Coroll. III. exposuimus, manifestatâ ipsis cum divinitate, tum potentia suâ aternâ, Rom. I, 16. 20. 21. ac innumeris beneficiis cœlitis præstitis, cordibusque eorum nutrimento & letitiâ impletis, ostenderit, ne ipsos quidem universali amore suo excelsos esse. Act. XVI, 17. Confer Matth. V, 45.

VII.

Proinde licet temporibus istis ignorantia DEUS ipsos quasi vi-

D 3

su præ-

su præterierit, i. e. non æquè publicis denunciationibus in regnum suum invitaverit, uti postea Apostolorum præconio factum est: subinde tamen occasionem dedit, *querendi ipsum*, expectans quasi, *ut forte ipsum palpando invenirent*, Actor. XVII, 30. 27. Si qui igitur eum invenerant, & sincerè timebant, quales Cornelius ille Centurio, & ex sententiâ sanctissimi Martyris, Justini, (Apol. 2. pro Christianis, pag. ed. Col. 83.) Socrates, Heraclitus, aliique complures, (*pro suo genere ac modo*) fuerunt: eos altiori pro captu ipsorum cognitione instruxit: reliquos, qui *veritatem DEI, ab ipso DEO revelatam, sponte commutarunt cum mendacio, & coluerunt, ac servierunt rebus creatis, præterito creatore, nec veram DEI notitiam retinere voluerunt*, non defectu suæ misericordiæ, sed ipsorum culpâ, *permisit ruere in mentem reprobam, & facere ea, quæ minimè decebant*, Rom. I. 19. 26. 28.

IIX.

*Illustrior erat Hebræorum conditio sub antiquo Fœdere, quos DEUS peculiaribus revelationibus, miraculis, & promissionibus dignabatur; nec solum iis Leges naturales, claris conceptas verbis, inculcabat, sed etiam certum cultûs genus, præ cæteris sibi probatum, præscribebat: infantilis tamen illa ætas erat, sub elementis mundi in servitutem redacta, Gal. IV, 1. 3. & proinde multarum rerum ignara, Johan. XV, 15. multa etiam à Paternâ indulgentiâ impune ferens, quæ adultioribus non æquè licuerint, Matth. XIX, 8. unde exempla Veteris Testamenti non promiscuè ad imitandum nobis proposita sunt, ubi lex Christianæ charitatis, & abnegatio omnis philautiæ omniumque vanitatum mundanarum nobis à CHRISTO clariùs & severiùs præcepta, alios mores postulant.*

IX.

*Maximus illuminationis gradus est is, quem DEUS in novissima tempora, Regno Filii sui destinata, reservaverat, quibus se spiritum suum in omnem carnem effusurum, & dona prophetica senibus, pueris, & puellis, servis & ancillis impertiturum, Joël. II, 28. & 29. legemque suam ita cordibus inscripturum esse promisit, ut nemo alienâ institutione indigeat, sed omnes minimi maximique natu ipsum cognoscant, Jer. XXXI, 33. 34. omnesque sint divinitus eruditi, Jes. LIV, 13.*



## X.

Eximia illa beneficia civibus Regni CHRISTI promissa Apostolorum temporibus largâ manu erogata sunt: sed paulo post lux illa Evangelica ad occasum redire cœpit: jam enim Johannes I. Epist. II, 10. conquerebatur, *ultimam horam adesse*, scilicet diei mystici, ut opinor, (conf. Joh. IX, 4. Rom. XIII, 12. 2. Cor. IV, 2.) vel ævi istius, quo lux Evangelica donaque CHRISTI magnifica mirabiliter per totum orbem splendebant; quoniam ADVENTUS ANTI-CHRISTI INSTET, noctem tenebrasque denuo orbi obducturus, *jamque multi spiritu istius imbuti venerint*, ipsius propinquitatem infausto omine portendentes. Apparet tamen, quò propiùs Regnum Tenebrarum ad finem accedit, eò largiora cùm illuminationis, tum etiam sanctificationis dona quaquaversum effundi: multaque mysteria, in sacris literis quidem consignata, sed adhuc vel DEI consilio *obsignata*, vel hominum vitio suppressa, subinde magis magisque in lucem proditura esse, spes est, Dan. XII, 4. 9. 10.

## XI.

Non omnibus Christianis æqualis intelligendi mysteria facultas à Deo datur. Matth. XXV, 15. Rom. XII, 3. 6. 1. Cor. VIII, 7. XII, 8. II. 29, 30. Eph. IV, 7. 13, 14. conf. Matth. XIII, 11. 16, 17.

## XII.

Si quod igitur mysterium te rectiùs percipere putas, quàm alterum quendam, dummodo de animo ejus malitioso non manifestè constet, ne eum propterea contempnas, nec condemnes, nec odio prosequaris, ne dum persequaris, & ex Ecclesiâ tanquam hæreticum proscribas: sed memento verborum Apostoli Rom. XIV, 4. *tu quis es, qui alienum famulum damnas? suo Domino stat aut cadit: stabilietur autem: potest enim Deus eum stabilire: v. 12. nempe igitur unusquisq; nostrum de se ipso rationem reddet Deo; v. 13. ne itaq; amplius alius de alio judicemus.* Conf. v. 1. 3. 5. 6. 10. 19.

## XIII.

Cogita sincero attentoque animo, annon *fides tua in sapientiâ humanâ potiùs, quàm in divinâ quâdam efficacitate consistat?* 1. Cor. II, 5. proptereaque ora Deum, ut Spiritus sui luce corrigat animum tuum, si forsitan in eo, in quo alterum errare censes, ipse erraveris; quod faciliè vel ex unico Scripturæ dicto non fatis intellecto, vel ex præ-

præconceptæ opinionis tenacitate, vel ex Religionis, in quâ educatus es, parentumque & præceptorum tuorum amore fieri potest.

XIV.

Si tamen divinâ quâdam *πληροφορία*, (quæ cum præcipiti & pertinaci humanæ ratiocinationis iudicio neutiquam confundenda erit,) de veritate fidei tuæ ita à Spiritu S. te convictum esse sentias, ut, eam cœlesti veritati sacrisque Oraculis prorsus respondere, evidenter & sine ullâ dubitatione perspicias: primùm quidem grato, & simul admodum submissò animo hoc Numinis beneficium agnosce, memor te quantumcunque cognoveris, id omne tamen *ex parte* tantùm ac obscurè, velut *per ænigmã* cognoscere, 1. Cor. XIII, 9. 12. deinde ora pro errantibus, ut *ipsis quoq; aperiantur oculi ad pervidenda mirabilia*, i. e. *mysteria legis divinæ* Psal. CXIX, 18. denique illis exponere, omisissis trivis Scholasticis phrasibusque *ἀγράφοις*, (1. Tim. I, 6, 7. VI, 3, 4, 5. 20. 2. Tim. II, 16, 23. Tit. III, 9.) quantum fieri potest, perspicue placideq; sententiam tuam, & quæ te certiores fecerunt, argumenta: nec tamen succensere, si non statim nervum eorum capiant, sed perge saltem, quæ plantasti, rigare; incrementa verò à Deo suppliciter expete, & patienter expecta, 1. Cor. III, 6. Marc. IV, 26. seq. hic quippe facilè destinato tempore errantibus istis salutare cognitionis lumen dare poterit, quod fortasse ad ostendendam illorum naturalem credendi impotentiam, vel aliis de causis, adhuc distulit. Sæpe enim cognitio nonnullarum rerum aliis obest, 1. Cor. VIII, 1. vel certe non magnopere necessaria est, quibus ignoratis vel negatis neminem de salute sua certum esse posse, quidam existimant.

XV.

Si cui mysterii alicujus cognitio à Deo sit concessa, cujus divulgationem offendiculum majus, quàm commodum præbiturum animadvertit: obsarvet similiter dicto cap. XIV. ad Rom. versum 22. *tu fidem habes: apud te metipsum habere coram Deo.* Quorundam enim arcanorum detectio & publicatio certis temporibus à Deo reservatur. Dan. XII, 4. 9. Matth. XVII, 9. Rom. XVI, 25. Eph. III, 6. Col. I, 26. 1. Tim. II, 6. Tit. I, 3.

F I N I S.



17a  
18




Ka 3754<sup>e</sup>  
s

W 077







OBSERVATIONES  
THEOLOGICÆ  
DE

# HÆRESI,

JUXTA

S. SCRIPTURÆ SENSUM;

*D. O. M. A.*

IN ELECTORALI FRIDERICIANA,  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
*SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,*

DN.

*FRIDERICO WILHELMO,*

ELECTORATUS BRANDENBURG. HÆREDE,  
&c. &c. &c.

PRÆSIDE

JOACH. JUSTO BREITHAUPT,

S. Th. D. Profess. Publ. & Seminar. Direct.

Consil. Confist. Duc. Magdeb.

&

RESPONDENTE

M. JOHANNÉ GVILIELMO à LITH,

Onoldino-Franco,

Ad disputandum P. P. XX. Novembr. MDC XCVII.

---

HALÆ MAGDEBURGICÆ,  
TYPIS CHRISTOPH. ANDREAE ZEITLERI, AC. TYP.

L5.

S-20

5

